

www.e-rara.ch

Theses politicae de magistratus iure circa sacra

Schweitzer, Johann Heinrich

Tiguri, 1695

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-9581>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

THESES POLITICÆ

35.

DE

MAGISTRATUS
IURE CIRCA
SACRA,

Quas,

Deo Juvantē,

Præside,

JOH. HENRICO SUICERO,

Linguarum SS. Professore Publico,

Placido Examine submittit,

LUDOVICUS HIRZELIUS,

Politices Studiosus.

Ad diem Martii, loco horisque solitis.

TIGURI.

Typis DAVIDIS GESSNERI.

M DC XCV.

MAISON
FONDÉE EN 1858
PAR M. J. B. L.



MAISON
FONDÉE EN 1858
PAR M. J. B. L.
MAISON
FONDÉE EN 1858
PAR M. J. B. L.
MAISON
FONDÉE EN 1858
PAR M. J. B. L.



THESES POLITICÆ,
DE
MAGISTRATUS JURE
CIRCA SACRA.

THESIS I.

TAmetsi Ecclesia Dei vivi non sit de Mundo . eam tamen esse in Mundo , tum ipsius Christi, unjci Ecclesiæ Capitis, tum *Experientia* ., *sensibus & ratione* suffultæ , irrefragabilibus testimoniis, plus quàm satis constat.

II.

Mundum autem præcipuum suum decus ab humano trahere genere, nec hoc sine *Societate & communiõne* multiplici, vel commode, vel *suaviter* vivere & perennare posse , compertum pariter est.

III.

Inter varias verò *Societates* , mutuorum commodorum gratiã conjunctas, illa diffusa & ampla populi in unum coitio eminent, à qua Hebræis $\square y$., quasi $\square \omega \nu \nu \eta \mu \acute{\epsilon} \nu \omega$, in unum collectus, talis cœtus vocatur.

IV.

Quales autem cunque sint *Societates* , parva vel magna , si-

va paucorum sive plurium , Ordine illas conservari æquè indubium est.

V.

Qui cùm in sociata multitudine ab ordine Imperantium & Parentium alius non sit, necesse est, ut Magistratuuum & Subditorum, sive contentius, sive liberalius hi habeantur, agnoscat discriminem, quo sine nulla Civitas, vel Respublica consistere potest, Deo supremo rerum arbitro, omnia ita sapienter & potenter, imò benigne adgubernante.

VI.

Et quidem in tali parentium & jubentium discrimine ed unice contendunt omnia, ut singuli æquè ac universi, sine insultu & molestia, quoad fieri hoc potest, vivant, nec visa, fama, opes protervorum fiant spoliium.

VII.

Unde evidens est, Ordinem regentium, saluti obsequium destinatum, neutiquam verò maximum horum numerum, illorum vel ambitioni, vel lubidini unice devotum esse; quæ impia & profliganda modernorum Pseudo-Politicorum sententia esse deprehenditur.

VIII.

Nolumus verò vel Magistratuuum, vel Subditorum hic plenius describere officia, quibus sibi in communem salutem adnexi sunt; Verùm pressius dispicere lubet, quæ Religioni cum Regimine, atque ided Politie & Ecclesie sit concordia, quam intricatissimam esse disputationem, celebre inter Politicos nomen, non vanè asseruit, ut majori circumspectione idcirco hac in quæstione opus sit.

IX.

Quem in finem sollicitè cumprimis tenendum, sapius quidem

dem, non tamen *semper*, quos eadem Societas humana colligat, eodem de Deo, & rebus *caelum Dei* spectantibus, sensu conjungi, sic ut unam qui componunt *Civitatem*, una quoque *Ecclesia* sint, quæ geminata certè felicitas est.

X.

Quippe tales *suura* & *presentis vite* consimile urget studium, *suavi patet* & *potenti*, ad eandem *metam* contendentium, *emulatione*.

XI.

In qua quòd *Magistratus* supra alios eminenti, suæ sint partes *ἐξουσιον* esse, & *Officii dignitas*, & *publica salutis studium*, denique *τηλαυχὲς* & *Ἐσωποριτῆ* splendens vultus, satis superque demonstrant.

XII.

Nec *postremas*, vel *secundas*, quæ *Mimorum* sunt, sed *principes* esse, eadem evincunt rationes, observato duntaxat *Architectonica* & *Ministerialis* potestatis discrimine, quarum illa *mandans* & *ordinans*, hæc *exequens* & *parens* est.

XIII.

Itaque tamethi *Magistratus* ipse *ministerium Ecclesie* non subeat, ut *ministri Christi* qui sunt, & *dispensatores mysteriorum Dei*, quibus *Ecclesie cura*, *pedo verbi* & *virgâ disciplinæ* commissa est, quique pro in *Propheta*, *Doctores*, *Pastores*, *Ductores*, *Christi* & *Ecclesie ministri* peculiariter vocantur.

XIV.

(Quamquam, quod in *parenthesi* monemus, *duplicis* hujus *officii* in *uno* *subjecto* *complexus*, non *suâ naturâ* vel *indecens*, vel *impossibilis* sit, sed *sola curarum* & *laborum*, cum *copia diversitas*, hunc *impediant*;))

XV.

Neutiquam tamen obstat, quò minùs *Ecclesiæ* rebus ipse *Magistratus* in omnibus ita adsit, ut illis etiam *legislatoriâ & directoriâ* *Autoritate* suâ *præsit*, in *Curiam* parium tum *Ecclesiæ* *Ministris* nunquam redigendus, nedum *Clero* submitendus, id quod *Papavus* ab ævo studium, nec sine successu, sed turpi & illætabili, fuit.

XVI.

Unde quæ de *geminata Potestate*, non *discreta* duntaxat, sed quod majus quid spirat, *separatâ*, adeòque de *duplici*, in *Populo*, eandem fidem professio, *Regimine* dicuntur, *Ecclesiastico* puta & *Politico*, insincera, imò perniciofa esse proclamamus, quocunque tandem colore talia incrustentur.

XVII.

Quippe *summa*, cui omnes in externo subsunt cœtu, *Potestas*, nisi *unica* esse non potest. Nec ullo prætextu illius imperio & *directioni* subtrahi possunt, quæ τὸ εὐαγγελιον καὶ τὴν τάξιν *decus & ordinem*, imò etiam σωφρονισμὸν *correctionem*, in qua ἀξιδεγμια *exemplum*, ad alios deterrendos est, respiciunt.

XVIII.

Ut vel hinc in *παρόδω* pateat, *severiore* omnem in *Ecclesia* *exorbitantium castigationem*, sive *publica* fuerit in cœtu *prostitutio*, sive *minor* vel *major Excommunicatio*, sive alia quæcunque nota *ignominie* *seculari* prope gemella, nunquam à *solis Ministris*, vel *Synedrio*, inconsulto *Magistratu*, eorundem *sacrorum socio*, tentandam esse; imò, quòd majus est, nonnisi hujus *jussu & mandato*, rectè & licitè fieri posse. Quæ ritè observata puritum omnem, *Jurisdictionem Ecclesiasticam* quam vocant, vel *erigendi*, vel *instaurandi*, facillè comprimant & sedabunt.

XIX.

XIX.

Non verò ea solùm quæ *Correctionis* sunt in Ecclesia à Maje-
state in solidum dependent, sed quæ sunt *directionis* eidem æquo
jure debentur. Ex magno agmine præcipua sunt in sequentibus
tabulis expressa.

XX.

Magistratus in Ecclesia *Religionem* veram, omni studio,
procul tamen omni *coactione*, vel *carnali pellacia*, promoveat, atque
eam ore & opere *proficientes* foveat.

XXI.

Contra *Errorum*, quibus virus est, *heresum* item & *Vitiorum* pe-
stem masculè & maturè à præsepibus arceat, atqui in talibus *con-*
tagio quocunque nocentes, ad saniolem mentem, testatâ etiam *ju-*
stâ indignatione, reducat, *impares* verò, *asperiori* etiam *disciplina*, coër-
ceat, procul tamen omni *sevitia*, quæ animum vel *sanguinis* vel *auri*
stipientem arguat. Apertè & petulanter qui *blasphemi* sunt, vel ex
ditione *excedere justâ fidem obsequii datam* protervè violant, graviora suâ
culpâ meritò sustinent.

XXII.

Quò verò *Religioni* sua constet sinceritas, hæc *Magistratum*
porrò mordeat cura, ut *Verbum Dei* cunctis fiat familiare, *Codicum*
sacrorum mercabili datâ copiâ, & *Ministorum* in *Scripturis* poten-
tium, procul *ineptiorum* *presensationibus*, vel *affectuum* *seducentium*
divergio, providâ vocatione.

XXIII.

Quem in usum *Bona Ecclesia* sacrata, sanctè impendat, nec
hoc parcè, sed *largiter*, *ὡς εὐλογίαν καὶ μὴ ὡς πρὸς πλεονεξίαν*, ut *benedi-*
ctionem, non ut *avaritiam*, 2. Cor. 9:5. ita tamen ut *inconsulta* quoque

absit profuso, quò operam in Ecclesia fidelem navantibus, quæ ad se, & familiam honestè alendam requiruntur, sine sordido questu, jugiter suppetant, & omnes vite hujus subsidii non satis instructi, vel penitus exuti, piâ hac liberalitate erigantur.

XXIV.

Itaque à talium Bonorum curatela procul abesse jubeat Polypos illos, qui quicquid tetigerint, tenent, nec faciliè in alienos usus illa impendat.

XXV.

Quòd si verò hæc Ecclesiastica bona necessitatibus jam memoratis non sufficiant, *Ærarium publicum, Euclionis ollam*, quam in pios contrectasse usus piaculum sit, neutiquam putet, sed quod Christo deest *fiscus* suppeditet, Apostolico argumento: *Quod si nos vobis spiritualia seminavimus, anne magnum fuerit, si nos Vestra carnalia messuerimus?* 1. Cor. 9:11.

XXVI.

Vicissim non videmus quid impediatur, quò minus quæ in *Corban*, seu bonis Ecclesiæ abundant, *Reipublica* falcierendæ, ejusque oneribus sustinendis, *dedicari* possint; cum vel sic Ecclesiæ, quæ in *Republica* est, non contra hæc in Ecclesiæ, si non proxime & directè, saltem remotè & indirectè in multiplex cedant commodum, quippe quæ de *Republica* splendore & fortunis multum sanè participat.

XXVII.

Ad Religionis verò curam, cum *Academia* & *Scholæ* quoque pertineant, ubi *Juventus Deo* pariter & *Patriæ* formatur, neque has vel negligendas, vel abjectim tractandas, sed eadem quâ Religio curâ instruendas & conservandas esse, *Magistratus* sui officii haud immemor, judicet.

XXVIII.

Scholarum itaque *Doctores, Professores, Præceptores*, qui quos Eccle-

eclesia *Ministros*, Respublica *Curatores & Praesides* est habitura, multâ curâ fingunt, non ad *atriensium Servulorum*, vel *pedissequorum* subfellia in Sacro ordine relegabit, nullâ nisi *obsequii gloriâ*, quam *cacam obedientiam* vocant, ipsis relicta.

XXIX.

Prout contrâ neque Academicorum probabit morem, qui statim atque *Doctores & Magistri graduati*, quos vocant, facti fuerint, de *primatu* cum *docentibus in Ecclesia & Scholis*, non sine animorum æstu contendunt, *Juvenibus* ex *successu*, eâ quæ nos in hac ætate urget *ambitione*, promptè & enixè, cum *reliquorum*, non *æqualium* duntaxat, sed *superiorum* etiam contemptu, eò aspiraturis, nullâ officii suscipiendi ratione, sed *φιλοτιμία* solâ ad id compulsis.

XXX.

Utinam verò *Christi Vox* omnium purgatas hic personet aures; *Non ita sit inter vos: sed qui magnus esse vult, sit minister vester*, Matth. 20:26. Certè minùs *fecunda, liuum, livoris, obscuri odii*, & *consimilium* malorum, forent femina, nullam nisi *tristem* habitura unquam messem.

XXXI.

Et quum frequenter satis contingat, ut *Ecclesie Ministri* in aliquo *Regno, Ditione, Republica*, vel *universi*, vel *plures* ab aliis *delecti*, suos habeant *conventus solemnes*, in *Synodis & Conciliis*; neque hi institui possunt, vel debent, sine *Magistratus veniâ*, imò *jussu & moderamine*, sive *praesidio*; quum omnes *conventus publici juri Majestatis* subsint, eorumque *directio, Regiminis publici* sit exercitium.

XXXII.

Qua propter ipsa quoque *Synodorum placita*, vel *communi*, vel *plurium consensu* formata, qualiacunque hæc fuerint, sive *fidem*, sive *sulium externum*, sive *certos definiant ritus*, omnem *legum publicarum*
vim

vim ab *Autoritate Magistratus*, ejuſque *approbatione* habent, utpote cui ſoli *potestas legislativa* in *externis* debetur, nihil quicquam *interno horum decretorum*, quatenus ex Dei verbo deducta ſunt, *Valori*, in ſingulorum *Conſcientiis*, ea propter decedente.

XXXIII.

Priusquam verò *Synodorum definitionibus*, ab Imperio, *publicarum Legum*, pœnali etiam ſanctione roboratarum, accedat vigor, *cognitionem cauſa* pius Magistratus neutiquam negligat, multò minus illam ſibi, quocunq; prætextu, *eripi*, vel aliorum placita *ἀθετατικῶς obrundi*, patiatur, nî proculcatâ ſuâ dignitate, non *regere*, ſed alienis nervis mobile lignum, *regi*, adeoque *Judex ſine judicio & pedarius Arbitrator*, indelebili ordinis ſui probro, & vix atque ne vix reparandâ jacturâ, eſſe velit.

XXXIV.

Cætera quæ *Magiſtratui* circa *Sacra* debentur, ad jam dicta cum commodè revocari, atque inde facilè diſcerni poſſint, plura addere nihil attrinet.

XXXV.

Alia longè ratio eſt, quando *Magiſtratus* ab *Eccleſia* diſſidet, & *di-verſa* planè de *fide & cultu* ſentit; imò eò vel *ſponte*, vel importunis *Cleri clamoribus* (quod in *Gallia* & alibi factum eſſe ſcimus & dolemus) compulſus proruit, ut *Eccleſiam* omnibus nocendi artibus *dirigere*, & ſi pote *opprimere* ſtudeat. Tum enim *Eccleſia*, illius quidem in *Civilibus* *Autoritatem*, multum trèpidans, agnoſcit & reveretur; in *Sacris* autem, *plenifſimo jure*, ex ipſa *Natura Lege* ad ſe devoluto, ſua curat, atque de illis pro *arbitrio* vel *communi*, vel *Seniorum*, quos elegit, decernit, nonniſi ab *Iniquis* ea propter *Rebellionis & injuſtorum moliminum* accuſanda.

Annexa:

1. Politicæ demonstrationes æquæ sunt necessariæ ac aliarum Disciplinarum.
2. Politica illa spuria est, quæ neglecto jure, saltem utile intendit.
3. Juvenes ad Reipublicæ regimen admoventi maturè solidâ juris naturæ, Gentium & Civilis cognitione sunt imbuendi.
4. Primum & generalissimum Politicæ principium est, ut res cum Vita sociali, secundum rationis & conscientiæ dictamen, adeoque regulam justitiæ & æquitatis, congruant.
5. Quæ tales sunt inde suam habent Necessitatem moralem, & immutabiles sunt, adeoque sunt Juris naturæ.
6. Licet etiam Jus Gentium rationes suas ex societatis custodia deducat, in Naturæ Jus tamen rursus resolvitur.
7. Prout pariter jus Civile, ex mutua per consensum obligatione immediatè surgens, societatis custodiam & rationis dictamen, adeo-

adeoque Jus Gentium & Naturæ præsupponit.

8. *Ut ingeniosè admodum Magnus dixerit Grotius, Naturam humanam esse,*

*Juris naturæ Matrem,
Juris Gentium Aviam,
Juris Civilis Proaviam.*

F I N I S.

